

riorem tum veræ pietatis, tum & Antichristi, ejusque impietatum cognitionem perveniendi. Peropportunè igitur, ac planè divinitus mihi in hac cura ac deliberatione versanti, se se hæc insignis Historia obtulit, *de certaminibus inter Romanos Pontifices & sacrosancta aliquot Concilia, de primatu seu tyrannide Paparum super omnes Christi ecclesias.* Nam cum Hodie ob nimiam asperitatem, & impietatem Papalis tyrannidis, multi ea liberari cupiant, gravioraque de ea resint certamina, plerique præsertim politici sapientes, cupiunt scire, quid tandem Veteres de ea ipsa potestate senserint. Quare magna me eos non tantum voluptate, sed & utilitate affecturum confido, si hac brevi narratione, ex vetustis & authenticis monumentis demonstravero: *Primum*, quàm nihil initio amplius à Christo 300. annis Papa Romanus, præ aliis Episcopis, ut Eugubino, Ostiensi, & similibus, cum quibus eum divus Hieronymus confert & exæquat, potestatis habuerit. *Deinde*, quomodo eum Nicæna synodus cum Alexandrino & Antiocheno, aliarumque Provinciæ Metropolitanis exæquaverit. *Tertiò*, cum Papæ subinde latius dominari, omnesque Christi Ecclesias sibi subjicere nefariis planè artibus conarentur, quam graviter ac constanter sint, præcipuè à sacrosancta *sexta Carthaginensi Synodo*, cui divus Augustinus, & alii plusquam ducenti Episcopi interfuerunt, repulsi ac rejecti. *Quartò*, quomodo nihilominus Pæpæ in sua indefessa ambitione, & tyrannidis affectatione perrexerint, multisque frustra resistantibus, tandem ea tyrannide, quam nunc impiè ac crudeliter exercent, potiti sint. Hæc omnia si clarè ex authenticis monumentis ostensa à me in hac Historiola fuerint, cui quæso dubium porrò esse poterit, istum Antichristum nullo planè jure, nec humano, nec divino, sed mera violentia ac injuria, Christianitatem tam dura tyrannide hætenus pressisse, & adhuc premere; eoque summo jure, primo quoque tempore eam tollendam, abolendamque esse? Æneas Sylvius, seu Pius secundus Papa, disertè dicit; idque hisce ipsis verbis: *Ante Nicenam synodum unumquemque sibi vixisse, & parvum respectum ad Romanam Ecclesiam esse habitum.* Si annis 300. à Christi resurrectione Ecclesia Christi non solum esse, sed & florere, neglecto Romano Pontifice, potuit

Epist. 301.